



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Homine Spirituali

**Walenburch, Adrian van
Walenburch, Peter van**

Antverpiae, 1666

9. Consid. In quo consistat ratio Hominis spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10007

autem, qua retrò oblitus, in ea qua antè sunt extensus, secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Et ad eos, qui de sua perfectione possent præsumere; Quotquot autem perfecti sumus, hoc sapiamus. Iam dudum dixerat se imperfectum, nunc autem perfectum. Quare, nisi quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum?

CONSIDERATIO IX.

In quo consistat ratio Hominis spiritualis.

EX dictis facilè explicatur, in quo consistat ratio Hominis spiritualis. Nihil enim aliud est homo spiritualis, quàm fidelis in Christo, vel potiùs Christus in fidei. Quis enim magis est homo spiritualis quàm Dominus noster Iesus Christus? Quapropter, si Christus

36 *De Homine spirituali*
in fidelibus est, & unum est cum fidelibus, spiritu Christi fidelibus tribuente esse, cognoscere, & amare; erit *Iesus Christus* in fidelibus spiritualis, sicut est spiritualis in seipso. Quò fideles plus, minúsve uniti sunt Christo, quò plus, minúsve per spiritum Christi cognoscunt, quò plus, minúsve in Christo diligunt; eò plus, minúsve sunt spirituales, plus, minúsve perfecti.

2. Non indiget hæc res probatione; elucidari tamen potest per textum Apostoli, dicentis: (a) *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale: est & corpus spiriuale. Sicut scriptum est, factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spirituale est: sed quod animale: deindè quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus; tales & terreni*

(a) 1. Cor. 15. 14.

reni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes.
Igitur sicut portavimus imaginem terreni,
portemus & imaginem cœlestis.

3. Considerat Apostolus primum
Adam; & novissimum Adam, Chri-
stum Iesum. A primo Adam habemus
corpora animalia, & sumus homi-
nes terreni. A novissimo Adam ha-
bemus corpora spiritualia, & sumus
homines cœlestes. Quid sumus per
naturam, præcedit illud omne, quod
sumus per gratiam: *non prius quod spi-
rituale est, sed quod animale, deinde quod
spirituale.* Sicut primus homo Adam
factus est in animam viventem, &
pater viventium vitâ animali: ita
novissimus Adam factus est in spi-
ritum vivificantem, & pater viven-
tium vitâ spirituali. Dicitur de Chri-
sto Iesu, quòd factus sit *in spiritum vivi-
ficantem*; quia tanquam Filius Dei ha-
bet vitam in semetipso; & quia Ver-
bum Patris est, omnia per eum fiunt.
Voluit tamen peculiariter dici spiri-

C 5 tus

tus vivificans, quia communicat spiritum suum fidelibus, per quem fideles in ipso vivunt, & ipse in fidelibus.

4. Quodcunque ergo est verè unum cum Christo, habet vitam spiritualem, & fideles uniti spiritui vivificanti, vivunt vitâ spirituali.

5. De Adamo tantum dicitur, quod factus sit *in animam viventem*; non autem dicitur quod factus sit in animam animantem, vel in vitam vivificantem; ne quis suspicaretur, animam humanam ab Adamo originem trahere. Habemus nunc corpora animalia in nobis-ipsis: sed & habemus in Christo, cui uniti sumus, corpus spirituale; & per resurrectionem habebimus corpora spiritualia in nobis-ipsis. (a) Sumus nunc homines de terra terreni in nobis-ipsis: sed & sumus homines coelestes in Christo, cui uniti sumus, & qui est perfectissimus.

(a) Vid. S. Epiphani. *heres.* 64. 20. 1. pag. 592. C. C.

Sumus homo cœlestis ; & per resurrectionem erimus homines cœlestes in nobis-ipsis. Ad hoc enim accepimus spiritum Christi, ut hoc pignore certi simus, nos aliquando plenissimè futuros homines spirituales & cœlestes.

6. Consequens dictorum est, juxtà Apostolum : *Sicut portavimus imaginem terreni Adam : portemus & imaginem cœlestis Adam.* Cogita fœlicitatem tuam, anima pia ; adhuc animali corpore, terreno corpore es circumdata ; & non poteris per naturam portare, nisi imaginem terreni Adam : venit gratia Christi, & tibi mandatur per Apostolum Christi, ut spiritu Christi vivificata, etiam in hac vita portes imaginem cœlestis Adam. Cogita dignitatem tuam Christiane ; qui terrenus es per naturam, factus es spiritualis per gratiam. Qui animalis es ex generatione humana, factus es spiritualis &

cœ-

60 *De Homine spirituali.*
cœlestis ex regeneratione divina.
Christus enim, tanquam spiritus vi-
vificans in te vivit; ut non tantum
te vivificet, sed per te etiam alios
vivificet.

CONSIDERATIO X.

*Homo spiritualis dicitur à spiritu
Christi.*

I. **N** Ullum potest esse dubium,
quin homo spiritualis di-
catur spiritualis à spiritu *Christi Iesu.*
Sed quid est ille spiritus *Christi Iesu?*
Apostolus, qui ejus spiritus frequen-
ter meminit, solet eum per multos
effectus describere; aliquando ta-
men & ipsam naturam spiritus vide-
tur proposuisse. Nam dicit: (a) *Si
quis spiritum Christi non habet: hic non
est ejus. Si autem Christus in vobis est:
corpus quidem mortuum est propter pecca-*
tum

(a) *Rom. 8. 9.*